

ipsa sanctificabatur. Hic surdis quidem perficiebatur auditus, claudis autem integer reddebatur ingressus, firmaque, et solidae fiant bases pedum: coecis restituebatur visus, accedentibus peccatoribus disrumpebantur chryographa. Tandem haec et alia mirabilia contemplantis divus Damascenus, omnes et singulos, tam viros quam foeminas ad collaudandam tantam Virginem in sepulcro iacentem his egregiis verbis devotissime inivit: *Accuramus simul omnes ad Deiparam, chori patrum, et patriarcharum, spiritus prophetarum, et conventus sacerdotum, coetus apostolorum, populi martyrum, doctorum congregatio, iustorum animae, priorum ordines, dignitas quaelibet, et aetas: reges, et adolescentes principes, et qui parent imperio: adolescentes, et virgines, et senes cum iunioribus, laudate, supplicate, dicite Dei matri, dicite, quam beata est domus David, ex cuius lumbis genuisti Dei mater? Matres, et virgines glorificate eam, quae est sola mater, et semper virgo. Sponsae praecedite eam, quae inter adolescentulas sponsa quidem fuit, sed plane incorrupta, et sola sine dolore peperit eum, qui non potest comprehendi. Steriles, viduae plaudite eam deducetes, quae virum non est experta, et liberorum egestatis efugit vincula. Filiae exultate, eam quae filium peperit, prosequentes incorruptione. Benedicite Gentes, linguae praedicite, et cantate Matri Dei omnes tribus terrae, cantate, deducite eum canticis, et cymbalis iubilante, magnificate, psallite: tolle, tolle Maria tympanum, et procede ante Virgines: move Irem David, extolle vocem tuam, lauda regina, extolle modos cytharae, oca virgines, congrega choros canticarum, rodina choras: post lectum currant, ante lectum cum lecto praecedant, circa capsum choros ducant; ecce enim Dei gloriae nova arca in qua est urna aurea et virga Aaron, quae germinavit, et tabulae testamenti. Ecce summam, de qua clamantur oracula prophetarum: ecce scalam, quam vidit Iacob, qui in dicitis erat initiatus, in qua vidit anglos Dei descendentes, et ascendentes, quicumque is esset ascensus, et descensus. Haec est porta coelorum, de qua dixit ille: quam terribilis est locus iste, vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta caeli.*

Ad extremum, illum honorem, quem quidam cum Bernardino Bustensi praecitato loco funeri Deiparae Mariae exhibitum fuisse pia credulitate tradunt, describamus: aiunt enim, quod sicut pia mater emortuum filii corpus sepelivit; ita et filius pro sua insigni pietate matris suae corpus propriis manibus in sepulcro coapavit; et enim inquit glossa (in cap. ubi-cumq. 13. quaest. 2):

Mollis ossa cubant manibus tumulata storum.

Et quidem cum Dominus, ut Deuteronomii capite ultimo legimus, Moysen sepeliret, et Marthae exequiis interfuerit, ut vitae illius historiographi commemorant, verisimile satis est, hunc tandem honorem Genitricis suae impendisse; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VI.

*Super sepulcrum Deiparae Virginis epitaphia quatuor collocantur, ex evangelica lectione deprompta, quae varii aetatis praeconia decantant.*

Perantiquus increbuit mos, non solum apud infideles, sed etiam catholicas nationes, magnorum principum sepulcris epitaphia quaedam apponere, quae instar eloquentium linguarum, heroica defuncti facinora cunctis ea legitibus palam faciant. Cupiens ergo Ecclesia catholica praeclara Deiparae gesta immortalis memoria digna, omnibus evulgare, consulo hodierna die super gloriosum eius sepulcrum incorruptionis, et assumptionis illius certissimum testem, quatuor valde memoranda super eius laude conscripsi epitaphia ex evangelica lectione deprompta: non ad sanguinis nobilitatem, licet alioquin ex regia David prosapia esset oriunda: non ad pulchritudinem illius exollendam, licet alia pulchra esset, ut luna: non denique ad alias praeclaras eius naturae dotes illustrandas, licet multis abundaret, sed ad excellentiam divinae gratiae, et coelestium charismatum, quibus exundabat, universo orbi magis detegendum. Si enim Aegyptii solo lumine rationis ducti, ut refert Fulgositus (lib. 2. cap. 1) defunctos laudant, nulla opem, aut nobilitatis mentione facta, siquidem haec non hominis propria, sed fortunae bona dicuntur, in eis religionem, atque iustitiam extollebant, ut viventes ad has sectandas virtutes efficacius accenderentur: quanto magis Ecclesia catholica divis fulgoribus illuminata, oblati occasione commendandi Virginem, iam vita functam, non debuit a bonis caducis laudationis materiam carpere, sed eximiam eius sanctitatem variis encomiis efferre?

Primum ergo epitaphium, quod in dextero sepulcri latere apponit est illud: *Intraivit Iesus in quoddam castellum: cum enim mulier dicitur a mollitie, et metus, ac infirmitas animi perferre omnes illas grassaretur, ut ad aspectum mris fulgiant, et ad ensis evaginati intuitum protinus in terram, quasi examines corruant; insignis Deiparae laus est a fortitudine commendari, quam inexpugnabilis castelli nomenclatura portendit. Variis modis b. Virgo invincibilem suam fortitudinem manifestavit, quarum multis consulo omissis, duplicem solum laconica brevitate attingam. Primo enim sui roboris, ac fortitudinis manifestum exhibuit argumentum, cum daemone, immanissimo draconem, de quo Iob dixit: *Non est fortitudo, quae comparetur ei super terram, non solum devicit, sed et caput praecidit, divino testimonio ita testante (Gen. 3): Ipsa conteret caput tuum. Licet enim, ut alibi dixi, esset, et praecipue haeretici, Mariani honoris, et gloriae inimicissimi, legant, ipsum, scilicet semen, conteret caput tuum; vel, ipse, scilicet filius mulieris; mihi tamen, licet ipse preplaceat, ipsa non displicet, ipsum probo: ipse, ipsam, et ipsum non excludit: ipse, et ipsum unum est:**

ipse, et ipsa hostes non sunt. Nemo unquam catholicorum ulli mortalium convicium fecit, qui vel ipse, vel ipsum legere mallet. Ipsa vero in vulgata tot annorum saeculis confirmata editio, et sacro concilio adprobata reperimus, quam temere condemnare erroneum est. Sed obicit haeretice: *Ipsa conteret. Al ipsa, non est ipse. Igitur si ipsa conteret, non conherit ipse; quare aut nihil profuit ipse, aut nihil opus fuit ipso: ipse sane tibi opus erat, ut mentem illuminaret. Ecce ipse, sed natus ex Maria: ecce ipsa, ipsum quidem semen, sed mulieris semen: ipsa, sed non ex se ipsa non sine ipso: ipse propter ipsam, et propter ipsum semen, hoc est, unus propter omnes: ipsa autem, et omnes per ipsum, et propter ipsum, ut ait d. Paulus. Deinde, vide omnem verborum contextum: nonne necesse est, ipsam quoque admittere: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, inter semen tuum, et semen illius: ipse conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. Cuius calcaneo insidiatur serpens: an ipsi tantum, hoc est, semini mulieris, non autem ipsi mulieri insidiabitur? hoc si dicis, illum mendacii arguis, qui dixit: *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, ubi inimicitias, illic insidiae; quod si inimicitias inter serpentem, et mulierem non inficaris, quis erit huius inimicitiae exitus? quis tandem in hac pugna superior evadet? mulier, an serpens? si serpens, ergo fefellit, qui promisit: Ipsa conteret caput eius; quomodo enim contritum est, si mulierem sternit? si enim et mulier tandem superat, igitur et conterit caput eius; nisi enim et illa conteret, conteretur, immo ipse conteret, sed ipsa hoc, inquit, perfruetur. At hoc est, quod dicebam: ipsa conteret non sine ipso, sed per ipsum: ipse quidem victor sua ipsius potentia; ipsa autem victrix ipsius clementia. Secundo b. Virgo suam ostentat fortitudinem a pene innumeris inferorum hostibus nos potentissime defendens; ad quod manifestandum, ipsa muro firmissimo, et inexpugnabili turri se comparavit dicens (Cant. 8): *Ego murus, et ubera mea, sicut turris. Ecce coniunxit murum, et turrim cum uberibus, ut perinde illud accipias, ac si diceret: Murus, et turris sum ad protegendum, mater ad nutriendum: murus, et turris infirmis, mater parvulis. Si propter virum imbecillitatem times, murus, et turris sum: intra me abscondere a facie inimici. Si de parvitate tua confunderis, et crescere cupis in virum perfectum, mater sum, meo lacte nutrire. Murus, et turris sum per fortitudinem, et mater per pietatem. Ego murus, et turris inexpugnabilis, excelsa habens propugnacula: ego mater amabilis, et grandia habens ubera: quam grandia? sicut turris; sed ubera mea, non tantum sunt ubera, sed etiam turris: non tantum nutriendi, sed et protegendi vim habent: nullus me potest habere quo nutriam, et non habere quo nutiam: materna pietas mea, quos nutrit, etiam munit: quos nutrit, ut discant, atque grandescant, munit a facie inimici, donec iam grandes effecti contra eum in campum fiducialetere exeant. Sed numquid tu, o pia mater, numquid tu non una es filiarum Evae? quid est,****

CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. II.

quod tam gloriose, tam praecclare de te loqueris? node tibi praerogativa haec? non in me, ait, sed in Domino glorior, nihil enim habeo, quod non acceperim; unde nec glorior, quasi non acceperim. Illud lamen, quod observatioe dignum reor, mihi praerobio: aptissime Spiritum sanctum, ut clarior, et evidentior eximia Virginis fortitudo nobis innotesceret, ubera eius fortissimae turri comparare, ut ex uiguo leonem concientes, in hunc modum philosophemur: Si sola ubera, quae foeminarum teneriora, ac molliora membra esse agnoscentur, et praecipue illis, quae ossibus constant, fortitudine, et robore instar turris vigent; non potest totius Virginis fortitudo, et robur supra modum ingens non esse. Unde imit ipse Sponsus comparavit eam alibi non caicumque turri, sed illi, quae tempore Davidis edificata fuit adversus Damascenos (Cant. 7): *Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum. Nasus discretio est Deiparae, quia praesentit diaboli malitiam, et subodorat a longe eius stratagemata: ut sicut turris fortissima pro nobis se opponat diabolo, sub nomine Damasci apte intellecto, quia Damascenus sanguinis potus interpretatur. Ipse enim cruentus hostis, instar sanguisugae, cuius meminit Salomon (Prov. 30), humanum sanguinem silit; dicitur autem sita haec turris in Libano, qui candor, seu candidatio interpretatur, ad significandum, quod Deipara canore illibatae suae virginitatis, ac eximia animi puritate, lanquam pedis, calcare, et profugare valeat immanissimum hunc hostem. Haec tunc exhorruit ille, quod sicut Damascus solo intuitu illius fortissimae turris Davidicae tremebat; ita diabolus ad solum Virginis intuitum, immo et auditum, contremisit; omnique eius fortitudo emervatur, et quasi evanesit. Sed quomodo quaeso, si huius Mariane turris tanta est fortitudo; alibi appellat illam eburneam? (Cant. 7): *Collum tuum, sicut turris eburnea. Etenim eburnea turris, vel monile aliquod refolet, vel certe simulacrum aliquod turris ex ebore confectum, aspectu solum delectabile, ad defensionem vero minime aptum esse nascitur. Scio Rabbinos Salomonem, et Iosephum coecum, velle a rege Salomone inter alia opera magnifica, turrim quandam eburneam construam. Sed quia rem omnino incredibilem dicebant, fides peves illi solam sit: mihi certum est, sicut et antiquis illius loci interpretibus, allegorice accipi, sicut et illud Nasonis:**

Impubesque genas, et eburnea colla.

Nec me lalet, Ruperium allegoricum istum sensum agnoscentem, in hunc modum proposita verba interpretari: *Quid est collum tuum, vel quale est collum tuum? atque non actensum, immo anabiliter domisum, et haec est humilitas tua, fortitudo magna, fortitudo pulcherrima. Vere sicut turris eburnea, quae et aspectu amabilis, et statura sit fortis: Cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis; diabolo autem terribilis, et inaccessibilis. Quomodo ipsi Deo fortis? nimirum, sicut ex istis comprobatur eocen-*

plis: quia si contra Deum fortis fuisti, ait ipse ad patrem tuum fidelem Iacob, quanto magis contra homines praevalebis? Ad Moysen autem: Cerno, inquit, quod populus durae cervicis sit: dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et faciam te in gentem magnam; et non dimisit eum, immo laudat uelatus est, ut videns Deus, quod eum superare non possit, diceret ei: dimisi iuncta verbum tuum. Quali fortitudine laetabatur iste, vel ille? profecto humilitate, sicut et de isto Psalmista dicit: si non Moyses electus eius stisset in confractioe, id est, in nimia humilitate, in conspectu eius. De illo autem propheta Osee cum dixisset: In fortitudine tua direpsit eum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est: confestim fortitudinis eius exprimens modum, subiunxit, flevit, et rogavit eum. Igitur, o dilecta, collum tuum, quod est, humilitas tua, turris eburnea, id est fortissima est, atque pulcherrima, quam respiciens Altissimus, dedit tibi gemellos istos dulces huiusmodi, duo ubera haec, virginitatem, et fecunditatem; et ecce habes tria insignia haec. Tertium quippe humilitas tua est. Recte quidem, sed alio nostra tendit interpretatio praesentis argumenti propius inserviens. Per collum significare voluit Sponsus fortitudinem Deiparae, eo quod collum, quia nervus, cartilaginibus, et ossibus constat, magno robore viget. Haec autem fortitudinem comparavit turri eburneae, quia ebur os elephantis est, qui et habet inimicitiam naturalem cum dracone, per quem diabolus designatur; et tanta fortitudine animal hoc praeditum est, ut portare solet turrim militibus, et bellicis tormentis plenam, ut (lib. 1. Mach. cap. 7.) legitur. Quia tamen ebur propter suam candorem castitatis symbolum est; ideo fortitudinem Virginis comparatam fuisse reor ebori, quia in hac materia tanta Deipara viguit fortitudine, ut non solum ab hoste expugnari, sed neque ullo modo impugari potuerit; quippe cum nulla lasciva cogitatio sacerarium Marianae mentis unquam pulsaverit. Quod si perconteris, unde haec tanta huius turris fortitudo? non aliunde certe quam ab eius Castellano, Christo Domino, qui cum Dei fortitudo nuncupetur, et sit, ab ostio eius nunquam discessit: semper illi adfuit, partim praesentia corporali, semper tamen spirituali, Ezechiele dicente (cap. 44): Porta haec clausa erit, et Princeps ipse sedebit in ea: hoc est, ianua virginialis clausi nulli unquam erit reserata, sed nec ianua voluntatis eius maligno hosti unquam erit aperta, quia serps septem donorum Spiritus sancti illam clausit, et ipse nunquam ab ea, etiam per momentum, recessit. Quid quaeso in causa cogitatis, ut rem hanc ad mores vestros informandos convertam, quod non semel uxorata foemina, debitate suo viri fidelitatis immemor, illum graviter offendat? absentia viri. Certe discessit vir proprius, et continuo patuit aditus alieno; adullera dicente per Salomonem (Proc. 7): Veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies: non est enim vir in domo sua, abiit via longissima. Haec Spiritus sanctus causam adulterii designat, viri absentiam. Quando quaeso uxor Putifar ausa

est ad libidinem castissimum Ioseph pellicere? non alio certe tempore, nisi cum vir eius absens erat. Quando etiam inquit, David tentavit, et expugnavit castitatem Bersabee? nonne, cum Urias eius maritus longe ab ea aberat? Quando tandem lascivi illi senes, populi Israelitici indices, Susannam ad adulteros amplexus, et concubitus trahere conati sunt? numquid, cum vir eius aderat? minime, sed cum absens erat. Hinc ad haec mala propulsanda d. Petrus maritos hortatur ab uxoris non discedere, sed cum illis cohabitare (1. Pet. 3): Viri similiter cohabitantes secundum scientiam: super quae verba Nicolaus de Lyra, ut id obiter adnotet, ait: Secundum scientiam, ita quod non tractet uxorem, sicut ancillam. Unde et mulier facta est de latere viri, nec de pedibus, quia non debet esse serva; nec de capite, quia non mulier caput viri, sed e contra, vir caput est mulieris, ut ait dicitur Paulus.

Secundum epitaphium, quod Ecclesia catholica apponit in secundo latere sepulchrae Virginis, desumpsit ex verbis Christi Domini (Lucas 10): Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Etenim sicut Marthae adventus Christi Domini in domum suam occasio extitit suae turbationis; ita adventus eiusdem nunciatus ab angelo illius turbationis causam praebuit, quam divus Lucas refert: Turbata est in sermone eius. Sed et haec turbationem alia prius praecesserat, et aliae multae deinceps subsequutae sunt. Praecesserat quidem illa, cum ad nubiles annos pervenisset, in templo habitans, Sacerdotes eius voluerunt eam matrimonio tradere: cum enim ipsa virginitalis verovisset maritalem, ingentem virginem verecundiae Deo iam sacratae turbationem sustinuit, quousque divinitus ei fuit revelatum, matrimonium cum Ioseph nullum suae virginitali detrimentum allaturum. Multiplex etiam alia turbatio post angelicam annunciationem, absque ullo tamen culpa eius vestigio, sed potius cum ingenti merito subsequuta fuit. Turbata enim fuit prae dolore in circumcisioe cruenta filii sui, in laboriosa fuga in Aegyptum propter herodianam persecutionem, in mora ibidem per multos annos, in periculo reditu in Iudaeam, in triduo, quando nescientibus parentibus puer Iesus Hierusalem mansit in templo, quando non semel Iudaei eum lapidare voluerunt, quando tentarant eum de monte praecipitare, quando audivit captum, et duci ad Caipham, Herodem, et Pilatum, quando eum flagellatum conspexit, adeoque ulceratum, ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla in eo esset sanitas: quando vidit faciem consumptam, et maculatam absque ulla specie, et decore: quando intulit est spinis coronatum, purpura despectibili indutum: quando alba veste instar amictus, amictum: quando ad ignominiosam crucis mortem ducebatur: quando vidit crucem baebulantem, sub cruce crebro cadentem, psallere in eum, qui bibebant vinum in incanditate: quando vidit eum spoliarum vestimentis suis, cruci clavus affigi, erigi in altum, a circumstantibus blasphemari, a latronibus impreparari: quando audivit, sitio, clamantem, et cum

clamore valido animam exhalantem: deinde diro mucrone lanceae latus eius transverberari, et cruce deponi, in gremio eius constitui, in sepulchro recondi. Inter haec turbata sunt omnia ossa Mariae, et anima eius turbata est valde, ut Christi verba sibi merito usurpare posset (Joan. 13): Nunc anima mea turbata est, et quid dicam? Sed non solum in turbatione similem video Mariam Marthae; sed et in sollicitudine vitae activae, et Christo Domino ministrandi, et inserviendi. Nam praeterquam septem illa famosiora misericordiae opera pia Mater in filium exercuit: illum pavit, et potavit ubere de coelo pleno: illum induit: peregrinum hospitio suscepit: infirmum ex crudeli flagellatione, et spinarum coronatione, visitavit: in carcere crucis, clavorum compedibus victum misericorditer invisit: ac tandem mortuum sepelivit. Praeter haec, inquam, misericordiae opera a b. Virgine singulari animi sollicitudine, et amoris affectu Christo praestitit; duo praecipue activae vitae opera, in quibus beata Virgo non solum parem non habuit, sed nec similem viae est, nec habere sequentem, solum recensebo. D. Paulus inter opera vitae activae, per quae putat uxorem salvari, alterum esse censet, generationem filiorum (1. Tim. 2): Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione. Certe hoc activae vitae opus nulla unquam foemina excellentius praestitit, quam beata Virgo, quae eundem generavit filium in tempore, quem Pater aeternus ab aeterno genuit. In modo etiam generationis omnes foeminas praecelluit, cum absque viri opera, et virgo inlegerrima manens, Spiritu sancto cooperante, filii sui generationi operam dederit. Si ergo quaecumque uxor in fide, et dilectione manens per generationem filiorum salvabitur, adeo grata est Deo filiorum generatio, ut ait Paulus; quantum ei placuisse censenda est beata Virgo per generationem filii Dei? quod vitae activae supremum opus fuit soli Mariae reservatum. Secundum opus vitae activae, in quo singularissimam intueor beatam Virginem omnes superasse, illud opinor fuisse, quod licet alioquin, omnes nos pariter, et Virgo, praecipue tamen ipsa, a Christo fuerimus redempti, ipsa vero sola specialis redemptionis genere Christum redemit. Cum enim inviolabilis lex eo tempore vigeret, ut filii primogeniti, quasi captivi, et servi, templi ministeris manerent addicti, nisi alioquin a parentibus quinque sic redimerentur; ipsa prae amoris magnitudine erga primogenitum suum, constituto illo pretio, ab ea servitute cum misericorditer redemit. Missam consulo facta sedulam curam, ac ingentem sollicitudinem, quam per totum Christi vitae curriculum Deipara Virgo in ministrando ei adhibuit. In nativitate ipsa ei obstetrix fuit, ipsa nutrix, pannis involvit, super genua sua infanti blandiebat, dormientem observabat, inclementia frigoris algentem, inter brachia sua illum amplexans, fovebat: circumcisionis vulnus tenerimae infantis carni inflictum curavit: ab Hierodis persecutione mortem illi machinantis, sollicito illum, in Aegyptum proficiscens, liberavit, et a praesepe usque a se-

pulcrum, excellentius, quam Marthae satagebat semper circa frequens ministerium.

Tertium epitaphium, quod in tertio latere Mariani sepulchri appositum intueor, est illud ex eadem evangelica lectione acceptum (Luc. 10): Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius: hoc est, auscultabat profunda contemplationis attentione verbum Christi loquentis ei ad cor. Id quod recte in Mariam conveniat, nemo sanae mentis inficiabitur: ipsa enim cum vita Marthae activa, Magdalenae contemplativam in excellentissimo gradu copulavit, ut quae probe agnovisset, divinae sapientiae fulgoribus illustrata, valde oportere, vitae activae deditos, contemplativae immemores non esse, sed utramque, quoad fieri possit, sollicitos esse coniungere. Ad quod significantum ostensae fuerunt, ni fallor, Ezechielii in coelesti quadam visione animantia habentia alas, et manus sub alis; ut inde intelligatis, ad vos etiam loquor, tam viri, quam foeminae uxorati, non solum regimini domus, filiorum educationi, licetis negotiationibus ad alendam familiam; sed et spiritualibus exercitiis, orationi scilicet, et sacramentorum susceptioni frequenter, et diligenter vobis esse vacandum; nec contentos esse debere manus porrigere ad gubernationem domus, ut necessariae familiae provideantur; sed orationis alas expansuros, in Creatorem, et Redemptorem vestrum, mentis aciem intendatis, ut sic impleatur in vobis, quod David praedixit (Psal. 67): Si dormitatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsu eius in pallore auri: quia dicali: si requieveritis inter duas illas sortes, cleras enim sortis interpretatur secundum Hieronymum, vitae scilicet activae, et contemplativae, eritis sicut columba argenteis pennis praedita, et instar auri miro splendore coruscantis. Quibus aperte significat, vitae activae, et contemplativae deditos, his duabus virtutibus, tanquam praemio huius vitae maxime praefulgere solitos: tum castitate argenti candore adumbrata: tum charitate per aurum designata: quia sicut aurum pretiosius est inter omnia metalla, ita et charitas excellentior inter omnes virtutes, Paulo dicente (1. Cor. 13): Major autem horum est charitas, etc. Felix perantiquitas auctor verba illa: Inter medios cleros, vertit in haec alia: Inter medios tripodes, vel focos. Unde sensus illius loci erit: quantumcumque Marthae muneribus vacantes inter calabos, sartagines, tripodes, craticulas, et alia culinariae instrumenta versemini; facile divina gratia adiuvaute, non solum absque gravi peccati labe animi vestri deturpatis conservabuntur; sed instar culmbae, quae symbolum est vitae activae pariter, et contemplativae, ut pole fecundissima in filiorum procreatione, et velocissima in volatu, alae cogitationum, et operum vestrorum nitore puritatis, et charitatis miro splendore fulgebunt.

Tandem quartum epitaphium in quarto latere sepulchri beatae Virginis locatum, celeberrimam sententiam Christi Domini continet (Luc. 10): Maria optimam partem elegit. Sane beata Virgo optimam partem in praesenti vita, et op-



Si elegit divina voluntas sola gratia inter crepitanes vehementium ignium flammis non solum puerorum corpora sercare illaesa, verum etiam vestimenta sercare iusta; cur amict in matre propria, quod eligit in veste aliena? Ionam sercare in ventre caeli praeter naturalem usum voluit: incorruptam praeter naturam non sercavit gratia? Sercatus est Daniel datus intemperatissimae fami leonum, non sercanda est Maria tantis donata meritis dignitatum? Haec cuncta, quae diximus, quia naturam sercantia non cognoscimus, in Marine integritate plus potuisse gratiam, quam naturam, non dubitamus. Dirivitas enim opera sunt, quae dicimus, et ideo possibilia, quia omnipotentia. Sed neque alia tanti doctoris in idem argumentum praerata verba factum committat: (sermone enim primo de Assumpt.) in hunc modum sapienter loquitur: *Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Si ergo voluit integram matrem cum virginitate sercare pudore, cur non voluit incorruptam a putredinis sercare foetore?* Ac demum ita concludit: *Illud sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, et divinam naturam humano univit, non audivit, quod erat, ut Verbum, Caro, hoc est, Deus homo fieret, escam verbis traditum, consentire non valeo, dicere pertimesco, in communi sorte putredinis futurum de verbis auferrem; haec Augustinus, tam reverenter, quam graviter de corpore Deiparae disserit. Huius autem incorruptionis Mariani corporis nonnullas imagines eam adumbrantes in sacris eloquiis lego: nam celebris illa veteris testamenti arca ex lignis imputribilibus affabrefacta, ut constat ex lib. Exodi (c. 25) iuxta translationem Septuaginta Interpretum (Exod. 25): *Facies arcam testamenti de lignis imputribilibus*; quid quaeo aliud aptius praefigurabat, quam coelestem illam corporis Christi arcam, de qua canit Ecclesia Christum alloquens: *Ventris sub arca clausus est?* Cuius miram incorruptionem ut praesignificaret Dominus, voluit ex lignis imputribilibus coalescere. Deinde sacra commemorant eloquia (lib. Iosue, cap. 6.) Rahab mortem evasisse, domumque eius liberam exitisse a communi, quae aliis contigit factura, eo quod Hebraeorum exploratores in sua divertentes domos, libenter exierunt. Hoc quidem in figura illi accidisse mihi videtur, ad praenotandum sacram hanc virginem corporis domum, quia dicens (Luc. 1): *Fiat mihi secundum verbum tuum, supremum illud mundi exploratorem, ac Iudicem Christum Dominum, qui in lucernis minatur se exploratorem Hierusalem, hospitio exceperat, ab omni prorsus corruptione, et incineratione futurum esse liberam. Huc etiam facit id, quod referente Plutarcho (lib. Apophegm.) Caesar Augustus, cum Alexandrinam urbem invasisset, et usque ad interfectionem potuisset eam multare, ei tamen benigne pepercit; tum propter eius pulchritudinem, tum ob Alexandriam honorem eius fundatorem, a quo Alexandriae nomenclaturam mutaret. Non dissimiliter Christus Dominus pro sua insigni pietate, et amore erga matrem suam huic sacrosanctae Civitati pepercit, ne pulveris conversionem, et ruinam pateretur; tum propter**

eius pulchritudinem, quam sol et luna mirantur: tum propter se ipsam eius fundatorem, iuxta illud (Ps. 80): *Ipsae fundavit eam Altissimus.* Unde merito dicere potuisset illud (4. Reg. 19): *Prolegam urbem hanc, et salvabo eam propter me.* Sane singulare hoc beneficium debitum tantae Virgini erat. Nam quemadmodum par est, rebelles urbes solo aequari, et instar stipulae in cinerem, et favillam redigi; ita oportet, civitates fidelitate insignes in perpetuum conservari. Unde cum sacra haec civitas omnem rebellionem semper nescierit, utpote quae carnis fomite semper caruerit; vel ut aliis placeat, extinctum habuerit, sed semper humiliter subiecta in omnibus, et per omnia obediens incorrupta, incontaminata, etiam morte grassante, meretur conservare. Illa denique una ratio, quae mihi instar mille est in eisdem argumenti comprobationem, quod Christus Dominus totius incorruptionis, et integritatis fons, sacrum illud corpus inhabitasset: si enim corpora balsamo delibuta incorrupta servantur; quis quaeso dubitabit, Marianum corpus, quod novem mensium intervallo coeleste illud divini Verbi balsamum ex aeterni Patris mente distillatum tulit, omnis corruptionis expertum servatum fuisse? Certe quia coelestis vermis Christus Dominus, qui de se ipso dixit (Psalm. 21): *Vermis sum, et non homo*, intra immaculatum illud Mariae corpus genitum fuerat, terrestres vermes illud aggressi non sunt ausi, domicilio Creatoris sui honorem, quem poterant, quodammodo deferentes. Et quidem si Christus Dominus adeo intactum voluit matrem, ut nec ex proprio viro filios conciperet: qua ratione, quaeso, si noluit ex ea generari homines, voluisse credendum est, ut generarentur vermes, nisi velis, quod hominibus negavit, verbis concessisse? Ac tandem quia si virtus epicheiae, quae est aequitas ex aliquo consurgens, de qua loquens Aristoteles (5. Ethic.), et sanctus Thomas (2. 2. quaest. 102), asserunt proprium illius esse, reducere ius legale ad ius naturale: illud certe ius legale est (Genes. 3): *Terra es, et in terram ibis*: ius naturale est (Exod. 20): *Honora patrem tuam, et matrem tuam.* Reducitur ergo ius illud legale ad ius naturale, et sic implebitur aequitas ex parte filii erga charissimam suam matrem, et contabundis ei illud Davidis (Psalm. 64): *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.* Quare non dubito, quin incorruptissimae virginitati Mariae Deiparae tam in mente, quam in carne, inter alia incorruptibilitas, tanquam praemium valde illi consensuaneum corresponderet. Sicut ergo Deus exemit beatam Virginem a communi illa lege (Genes. 3): *In dolore paries filios tuos*; ita et ab illa: *Terra es, et in terram ibis*: utrumque enim opprobrium est naturae humanae, a quo nullus sanae mentis iudicabit filium matrem suam, cum alioquin facile potuisset, non praeliberasse. Fateamur ergo impletam plene benedictionem, quam serenissimus rex David beatam Virginem impertivit, cum ei dixit (Psalm. 120): *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum ex hoc, nunc, et usque in saeculum.* Duo pericula, et caque gravissima subire

coguntur omnes mortales, ex primo parente per naturalem generationem propagati. Primum est in principio vitae, cum peccati originalis labe inquinantur, iuxta universalem Pauli regulam (Rom. 3): *Omnes in Adam peccaverunt.* Secundum est in fine vitae, cum corpora vitallia aura desituta corrumpuntur, et in pulverem rediguntur, iuxta praescriptum illud generale sicutum (Gen. 3): *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Regius ergo propheta cupiens ab his periculis b. Virginem divinitus eripi, dixit (Ps. 120): *Dominus custodiat introitum tuum, id est, conceptionem tuam ab omni labe peccati originalis. Per conceptionem enim intravit in hunc mundum; subdit deinde: Dominus custodiat exitum tuum; hoc est, praecaveat, ut cum ab hac mortali vita exieris, sententiam illam non experiat: Terra es, et in terram ibis: pulvis es, et in pulverem reverteris.* Hodie igitur cernere est, benedictionem illam Davidicam adamassim completam in beata Virgine.

Porro non solum Christiferum illud Deiparae Mariae corpus incorruptionis dono, sed immortalitatis, et gloriae fulgoribus coepit roscare: nam resurrectionis Christi Domini exemplar aemulata, intra triduum, sicut ille, depositis vetustis mortalitatis indumentis, splendoris, et gloriae amicta vestibus resurrexit. Ita communi consensu tradunt Patres, praesertim divus Ioannes Damascenus, et Metaphrastes (de dorm. Virg.), et late d. Augustin. (serm. de Assumpt.), sed ante illam antiquissimus Dionysius Areopagita (lib. de die. nom.) dicens: *Ceterum tametsi Virgo mater naturae legibus fuit obnoxia, tametsi mortem degustavit, tametsi ut homo, in sepulchro est deposita; naturae tamen fines, atque terminos superavit, et excessit: neque sepulchrum, et mortalitas eam in potestate sua retinere potuit.* Nicephorus etiam (lib. Eccles. hist. cap. 23.) ex Iuvenali patriarcha Hierosolymitano rem hanc in haec verba describit: *Iuvenalis Hierosolymorum Episcopus, magnus sane, divineque afflatus numine, vir ex vetusta traditione rem hanc sic gestam scriptis suis cum fide confirmat. Dicit enim, totum triduum Apostolos ad monumentum, divinum hymnorum carmina audientes perseverasse. Accidit autem rursum, ut Thomas ab eis abesset, videlicet, ut nota, perspectaque divinae Genitricis fieret assumptio; itidem, ut antea filii eius, pro eo, atque decebat post diem tertium resurrexerit; ingenti afflictorum dolore, nec quieto animo esse poterat Thomas, quippe qui tanti boni non fuisset particeps. Sacra autem ille choros, iniquum esse iudicans, si ille quoque dicimus Virginis matris corpus non spectaret, atque completeretur, aperiri monumentum iubet, quod completeretur, aperiri monumentum iubet, quod completeretur, aperiri monumentum desideratum illud corpus non comparat; sepulchralia tantum lintea rite composita, loco manebant, talem ut filii quoque eius in sepulchro relicta, quae et ipse, et qui cum eo aderant, cum veneratione exosculati, incredibilique voluptate, odorisque suavitate repleti: sepulchrum quidem ad pristinum conformant modum; miraculum autem ipsum, quasi per manus subinde posteris traditum, ad nos quoque transmiserunt; hactenus Nicephorus, cui adnecto verba Sophronii (serm.*

de assumpt.) in hunc modum philosophantis: *Quomodo nonnulli adstruere velint, eam iam resuscitatum, et beata cum Christo immortalitate in coelestibus vestiri; quod, et de beato Ioanne Evangelista eius ministro, cui Virgini a Christo commissa est Virgo, plurimi assererant, quia in sepulchro eius nonnulli manna inventum, quod et scaturire cernitur. Legimus, quia multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, et venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis; de quibus profecto nonnulli doctorem senserunt, et etiam in suis reliquiarum scriptis, quod iam in illis perpetua sit completa resurrectio. Fatentur enim, quod veri testes non essent, nisi et vera esset eorum resurrectio. Unde et beatus Petrus dixisse legitur, cum de David loqueretur in testimonio: *Et sepulchrum, inquit, eius opud nos est, sed tantum sepulchrum, quod conditus fuerat. Hinc autem resurrexisset, et eum cum ceteris sanctis; et ideo vacuum remansisse maeolaem, ut nunc beatae Mariae cernitur, quod quia Deo nil est impossibile, nec nos de beata Virgine factum abnuimus.* Augustinus (lib. de assumpt. Virg. Mariae tom. 9. cap. 3): *Quid ergo, inquit, de Mariae morte, quid de assumptione dicendum est? Unde divina Scriptura nihil commemorat, nisi quaerendum ratione, quod conveniat veritati, siquae ipsa veritas auctoritas, sine qua nec est, nec valet auctoritas. Memores enim conditionis humanae, mortem illam subisse temporalem dicere non metuis: quam idem certe eius filius, qui et Deus, et homo est, lege sortis humanae sustinuit; et hoc quia homo de eius susceptus, et ortus est utero. Sed si dicimus eam mortis teneri vinculis, et resolutam in communem putredinem, vermes, ac cinerem, deliberandum est, si hoc conveniat tantae sanctitati, tantae aeternae Dei praerogativae. Scimus enim dictum primo parenti: quia pulvis es, et in pulverem ibis. Quod si de morte dicitur, generalis est sententia; si de resolutione in putredinem, hanc conditionem Christi caro coasit, de carne Mariae sumpta, quae corruptionem non sustinuit. De hac enim scriptum est per prophetam dicentem: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. De quo autem sancto dictum sit, archangelus prodidit, quod ad Mariam ait: *Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, et vere sanctorum sanctorum, unde et illa sancta sanctorum dicitur, quae illa sercabaat, quibus ille figurabatur, qui veraciter solus, sanctus sanctorum dicitur. Hic enim est, de quo idem archangelus Gabriel Danieli loquitur inter cetera, quae futura ostendit dicens: Et impleatur visio, et propheta, et unguatur Sanctus sanctorum, hic enim sanctus corruptionem non vidit, qui tertio die cum triumpho de inferis rediens, resurrexit caro eius, quae de Maria sumpta est, et si mortuus est ex infirmitate, revixit ex Dei virtute: sed hoc ille, qui quando voluit mori, quando voluit resurgere, potuit. Excipitur ergo ab illa generali sententia de Virgine sumpta natura. Quod si non Mariae congruit, congruit tamen filio, quem genuit Iesu: vocabulum Iesu gloriosum, omni ornatu, cultuque dignissimum: nomen, quod est super omne nomen,***

non decuit ab hominibus appellari, neque ab eis offerri in mundum, sed ab excellentiori quadam, melioreque natura. Post haec quae Adae dicta sunt, de quibus excipitur Mariae filius, contuenda sunt, quae etiam Euae dicta sunt; si cunctis foeminis sint generalia; et si in aliquo excipiat Maria. Scriptum quippe est: mulieri quae dixit Deus: Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos, et in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tibi. Aerumnam Maria sustinuit, cuius animam gladius passionis Christi pertransiit; sed conceptus non multiplicavit, nec sub viri, idest mariti potestate, degit, quae integerrimis visceribus de Spiritu sancto Christum suscepit; et virginitatis integritate manente, Virgo permansit. Hoc enim potuit effecere de matre, quia sic Deus elegit nasci de homine. Maria ergo, etsi communicat parturiendo cum dolore: promeruit enim hoc singularis sanctitas eius, et singulari gratia existimanda est digna. Non immerito ergo excipitur a quibusdam generalibus vera aestimatione, quam tanta servat gratia, et altitudo dignitatis praerogativa. Quantum enim Christi potestas possit, mundi ostendit universitas: quantum gratia Mariae, monstrat integritas, quae sicut diversa est a natura, ita diversa est ab usu. Quid ergo si in tanta diversitate eam dicimus humanae sortis mortem subisse; nec tamen eius vinculis retineri, per quam Deus voluit nasci, et carnis substantiae communicare. Ac tandem s. Melito, prout refertur (in Biblioth. antiq. Patrum), vel quicumque alius est auctor (in festo Assum.) refert Christum Dominum loquentem Apostolis suis, domi matris suae congregatis, ut morti eius adessent, haec dixisse: Quid ergo vultis, ut faciam ei? tunc Petrus, et alii Apostoli dixerunt: Domine praeclegisti hanc ancillam tuam fieri immaculatam tibi thalamum, et nos servulos tuos in ministerium tuum. Omnia ante saecula praescivisti cum Patre, et Spiritu sancto, cum quibus tibi est una deitas, aequalis, et infinita potestas. Visum nobis fuerat famulis tuis etiam rectum esse: ut sicut tu devicta morte regnas in gloria, ita resuscitatum matris corpusculum, tu tecum conduceres eam laetam in coelum. Tunc Salvator ait: Fiat secundum verbum vestrum; et praecipit Michaeli archangelo, ut animam sanctae Mariae deferret. Et ecce repente Gabriel archangelus revolvit lapidem ab ostio monumenti, et ait Dominus: Surge amica mea, et proxima mea, quae non sensit corruptionem per viri contactum: non patieris resolutionem corporis in sepulchro. Et statim surrexit Maria de tumulo, et benedicebat Dominum; et procoluta ad pedes Domini, adorabat eum dicens: Non ego tibi dignas gratias possum rependere Domine pro immensis beneficiis tuis, quae mihi ancillae tuae conferre dignatus es. Sit nomen tuum Redemptor mundi, Deus Israel, benedictum in saecula; et osculatus es Domini recessit, et tradidit eam angelis, ut deferrent eam in paradisum; et ait Apostolis: Accedite ad me; et cum accessissent, osculatus est eos, et ait: Pax vobis, quoniam ego semper vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Et statim, cum haec dixisset, Dominus elevatus in nube, recepit

tus est in coelum, et angeli cum eo deferentes b. Dei Genitricem Mariam in paradisum Dei: Apostoli autem suscepti sunt a nubibus, et reversi sunt unusquisque in sortem praedicationis suae, narrantes divina magnalia.

Ad haec non desunt graves auctores, qui verba illa Davidis (Ps. 231): Surge Domine in requiem tuam, tu, et arca sanctificationis tuae, non solum Christi resurrectionem, sed et beatae Virginis complecti contendunt. Hi sunt s. Ioannes Damasc. (de dormit. Virg.), illuminatus doctor Mayron (ser. de Assump.), nec non auctor Pomerii (l. 10. par. 5. in princ.). Perinde enim fuisse existimant, ac si David diceret: Sicut tu Domine Iesu resurrexisti a mortuis, et in glorioso corpore regnans in requie tua coelesti sedes ad dexteram Patris: ita fac, ut arca sanctificationis tuae, beatissima scilicet mater, in cuius utero, velut mystica arca laetissima, exurgat gloriae dotibus praevalens. Sequentia etiam verba: Sacerdotes tui induantur iustitiam, et sancti tui exultent, eodem intelligentiae non sunt incongrua. Nam precibus beatae Mariae, et ob celebritatem gloriosae eius resurrectionis, Apostoli primi Ecclesiae sacerdotes, iustitiae, et sanctitatis novum incrementum, ac singularem exultationem, et gaudium susceperunt (Ps. 231): Sacerdotes tui induantur iustitiam, et sancti tui exultent.

Verum, et hoc idem resurrectionis Deiparae argumentum, secundum sensum allegoricum, video in hodierni evangelii lectione insinuatum, dum nobis proponit sorores duas Mariam, et Martham, quarum altera, scilicet Martha, enixe postulabat a Christo Domino, ut praeciperet Mariae, ut ipsam associaret, et adinvaret (Luc. 10): Domine non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. In sensu allegorico, sorores istae sunt caro, et anima beatae Virginis, quae mutuo naturali amore erant coniunctae. Illis autem ancipiti mortis gladio separatis, caro Virginis per Martham, quae activae vitae vacabat, apte praefigurata, ardentius cupiens, ut dilecta eius anima ei reniretur, eamque associaret, ait querula quaedam voce: Domine non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam in sepulchro iacentem? Dic ergo, ut me adjuvet, vivificans me, et ad consortium meum rediens, ut simul tibi coelesti in gloria regnanti ministremus. Et ad hoc beneficium obtinendum, dupplicem rationem videtur caro beatae Virginis in sui favore producere. Prima est cura, quam filius debet habere honoris, et commodi suae matris: dicens enim: Non est tibi curae, perinde fuit, ac si diceret: num fili mi, matris tuae sollicitam curam non geris, Spiritu sancto dicente (Tob. 4): Honorem exhibebis matri tuae. Quod si Ecclesiasticus (c. 41) ait: Deo est cura de omnibus; potiori iure cura est tibi habenda de matre tua, Apostolo dicente (1. Timot. 5): Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit. Addens autem: Quia reliquit me solam, hoc est separata, et divisam per mortem a consortio animae, secundam rationem affert, quod iam persolverit debitum mortis, iuxta Pauli pro-

mulgatam legem (ad Hebr. 9): Statutum est hominibus semel mori. Cum igitur ex una parte huic communi conditioni humanae debito b. Virginis caro iam satisfecisset, et ex alia ad pietatem filii pertineret, sollicitam curam honoris materni gerens, ideo beata Virgo utramque rationem tangens, postulat non relinquere solam, sed iterum per resurrectionem animae associari, et reuniri; non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam in sepulchro?

Tandem duplex mystica ratio eandem Deiparae resurrectionem iam factam confirmat. Prima, quia, ut habetur (in lib. Princeps, ff. de legibus), Imperator in pignus amoris communicat imperatrici iura sua. Igitur cum su-

premus imperator Christus ius habuerit ad resurgendum intra triduum, quia Filius Dei erat; simile credendum est pro singulari suo amore, et pietate erga Virginem, ei contulisse, quia Matris Dei dignitate praevalens. Secunda ratio sit, quia concedentes, quod nullus fidelium negat, beatam Virginem modo esse veram matrem Christi, concedere etiam compelluntur iam resurrexisse, cum ne animi separata, nec corpus ab ea divisum, Christi mater dici possit: relatio enim maternitatis non denominat partes, ut unanimi consensu Metaphysici docent, sed totum compositum; beatissimam scilicet Virginem corpore, et anima constantem; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.